

In diesem Bande fehlen die Schriften Nr 39-41.

21. Sep. 1955.

Suchier.

Nr. 60.2.

17.
244
44

R E C T O R
ACADEMIAE LIPSIENSIS
AD
SACRA NATALITIA
SERVATORIS O. M.
IN TEMPLO ACADEMICO
PVBLICA ORATIONE CELEBRANDA


C I V E S S V O S

INVITAT.

J. Hebenheit

Sept. 61, 2.

aw.



Pauci supersunt dies, qui inclinatam hunc annum finient. Fuit is Romanensibus iubilaeus, et perquam laetus, imaginaria licet et superstitiosa laetitia; quibus nempe gaudendi materiam, iniquis suffultum rationibus Papparum sanxit arbitrium. Hunc sicut operosa cerimoniarum pompa pridie Natalium Seruatoris ante annum auspicati sunt, ita eundem hac ipsa crastini festi parasceue claudent; quod quibus fieri solet ritibus, alii dixerunt alibi,†) neque enim nos illud iam agimus. Sed habeant isti suam sibi laetitiam; nobis aliud est, quod hunc vergentem annum ecclesiae nostrae evangelico-Lutheranae exoptatissimum reddidit pariter et iucundissimum. Fuit illud confirmatae hoc ipso superioris seculi anno et ad effectum deductae pacis Westphalicae, dulcissima memoria; cuius summi beneficii post conditum nuperima scripione, qua ad celebranda *Reformationis* sacra ciues excitabantur nostri, monumentum, hac vice iterum recordari et amoenum nobis est et pium. Tantum enim illud esse existimare debemus, quantum vix aliud. Seruet modo Numen propitium hanc nobis posterisque nostris felicitatem, nec intercidere illam vnquam patiatur! pro qua gratia, quas in hac infirmitate non satis possumus, olim inter coelitem cateras laudes Ei dicemus per nunquam terminanda seculorum secula.

Verum est et aliud, quod huius iubilaei *) finis in mentem nobis reuocat, quodque annua solennitas diei crastini per Orbem Christianum celebranda nobis suggerit. Seruatoris enim Optimi natales, quos Nostris hac tabula indicimus et deuota mente obeundos commendamus, orbi annum vere iubilaeum attulerunt; illum nempe, quem Iesaias diuinus Vates שנת רצון *annum gratiae* fore praedixit. **) Sumta est formula absque dubio ab anno Iudaeorum iubilaeo, quem post exactos septies septem annos, septemque שבעות שבעים siue intermissiones aut remissiones, 2) summa cum laetitia celebrabant *quinquagesimum*.

1) De ritibus iubilaei romani qui scripserunt, plurimos recenset Martin. Lipenius in Bibliotheca reali Theol. et plures illis addidit B. Ioannes Alb. Fabricius in Bibliotheca antiquaria p. 319.

*) Quem alii malunt Iobelaicum appellare, hebraicam originem יובל sequentes. Nobis autem hac in tractatione perinde sit.

***) Cap. LXI, 2.

2) Habebant illae Iudaeorum שבעות שבעים nomen inprimis a remissione debitorum ab egenis contractorum Deut. XV, 1. 2. Ita Maimonides Iad Chafaka Hilch.

III

*smum.*³⁾ Habemus testem huius asserti sat idoneum, Abarbenclem;⁴⁾ quanquam ne illius quidem testimonio opus est, in re explanata neminique dubia. Dum enim felicissimum illud tempus, quod orbi **צְאוּרָה** s. redemtionem et libertatem allaturum esset, neque **עַתָּה** neque **יוֹם** vstitatis alioqui temporis notionibus, sed **שְׁנַת** appellat, valde est probabile, illum ad aliquod tempus determinatum, idque tunc temporis inter Iudaeos peruulgatum ac celebre, respexisse. Iam, sicuti dies quidem per annum plures, ita tamen annus integer, qui illi genti facer esset et eximius, non erat alius, quam aut septimus, siue Sabbathicus, aut qui septies septenorum clausula esset, quinquagesimus siue Iubilaeus. Hic autem, quia illos laetandi causis superabat, a Propheta loco excitato allegatis, et paulo post commemorandis; quin Vatis in animo potius quam isti, fuerit, non esse ambigendum existimauerim. Et viderunt hoc dudum ex Nostratibus plures eximiae doctrinae et iudicii Theologi, qui anno V. T. Iubilaeo, felicissima Noui

A 2

Testamenti

Hilch Schemittot c. IX, §. i. p. m. 141. b. quemadmodum iidem anni septeni a cessatione agriculturae, **שְׁנַת שְׁבוּתוֹ** anni *Sabbatici*, Leu. XXV, 5. appellabantur: quamquam etiam **שְׁמִינָה** isti agrorum quieti competere potest: vti Targum **דֵּי שְׁבוּתוֹ** transfert, et Iarchius ex illo interpretatur.

- 3) Gusslerius in Commentariis Linguae Hebr. v. **שְׁמִינָה** quadragesimum nonum facit iubilaeum, habetque plures consentientes, a B. Wolfio observationibus ad Lundii Heiligthümer p. 1229. citatos. Sed annum exactae septimae Schemittae proximum, ipsumque quinquagesimum Maimonides in Iad Chafaka agnoscit c. X, §. i. **מִצְוַת עֵשָׂה וְכוּ'**. „Praeceptum affirmatiuum est: numerari debere septies septem annos, et tunc dedicari *quinquagesimum* ex diuino mandato, Leuit. „XXV, 8.“
- 4) Comment. ad Iesaiæ I. c. p. 89. b. med. **וְזָכַר וְכוּ'** i. e. porro commemorat propheta, se vinctum esse (a Iehoua) ad praedicandum **שְׁנַת רִצּוֹן לַיהוָה** *annum gratiae Iehouae et diem vindictae*; quia **שְׁנַת הַיִּבְלָה** *annum Iubilaeum*: ita etiam vnixerit Dominus Prophetam **וְלִהְיוּ** ad annunciandum et praeconis instar indicendum, adesse **שְׁנַת רִצּוֹן** *annum gratiae super populum suum (captiuum ex exilio reducendum)* etc. Nec dissentiunt Kimchius et A. Esra, qui in Commentariis suis ad h. l. **וְזָכַר וְכוּ'** *annum liberationis ex exilio et e feruitute babelitica explicant*, id quod ad annum Iudaeorum Iubilaeo imprimis pertinebat; vtpote quo ferui manumittebantur.

IV

Testamenti tempora adumbrata fuisse, scriptis testatum reddiderunt et argumentis haud spernendis confirmarunt. ⁵⁾ Equidem, illi quod sua industria expediuerunt, repetere hoc loco non libet; aliud tamen erit, quod agemus, quodque hac vice meditari, a praesentis temporis hilaritate non alienum fore visum est. Videbimus nempe, causae quid sit, cur libertas generi humano per natum Christum parta שנת רצ"ו *annus gratiae* in Iesaiano oraculo salutetur.

Quod antequam fiat, necesse esse videri posset, conficere, an omnino *de recuperata nostra salute*, an non de quacunque potius alia felicitate, ⁶⁾ annus ille gratiae a Iesaiā praedictus, agat? Sed li-
tem

5) Fecerunt hoc Io. Biermannus in Mose et Christo. L. IV, c. VII. Cremerus in antiquitatibus Mosaico-typicis, Hafaeus disp. de mysterio Iubilaei Israelitici Breae 1700. Summe Reu. Dn. D. I. Gottl. Carpzovius, ante haec quatuor Iustra academiae nostrae decus, nunc Lubecensium Praesul: cui Deus longaeum et placidam senectam largiatur, in disp. de anno Iudaeorum Iobelaes §. XVII. apparatus eius historico-critico inserta p. 468. et ante hos ipse antiquissimus liber Zohar, quem allegat Lightfoot Harm. Euang. T. I. Opp. p. 485.

6) Iudaeis is qui Ies. LXI, 1. loquitur, et de se proficitur, super se Spiritum Iehouae esse, ipse Iesaias est; qui liberationem Iudaeorum ab exilio babilonico praenunciet. Et quidem Abarbenel h. l. hanc textus huius cum antecedente capite connexionem tradit: "Quia Propheta ibi de liberatione Iudaeorum babilonica, tanquam adhuc longe remota locutus fuerit, verbis vltimis: ego, Iehoua (non prope diem, sed) *tunc* accelerabo: propterea illum nunc subiungere haec verba: *Spiritus Domini super me est* etc. quasi diceret: Quamquam huius liberationis tempus adhuc longe hinc est distitum; ne tamen de ea desperetis nec verba mea mendacii arguat, non enim hominis verba sunt, sed Dei gloriosissimi; siquidem spiritus propheticus super me est in hisce denunciationibus salutis et circumstantiarum illius; et *unxit me*, id est, aptum me fecit magis quam omnes reliquos prophetas ad annunciandum pauperibus id est, Israelitis" etc. Sed de Iesaias munere propheticum nemo tunc temporis dubitavit, nec vsquam legimus illum habuisse obtrectatores; quod equidem Ieremiae euenisse constat. Quid ergo opus erat ista asseueratione, quam Abarbenel fingit? Accedit, quod is qui initio capitis loquitur: Spiritus Domini super me est, idem ille sit, qui v. 8. ait *nam ego sum Iehoua* etc. sine vilo indicio mutatae personae loquentis. Quod autem ad obiectum vaticinii attinet, facile posset ferri, hoc ex parte simul ad Iudaeos exules pertinuisse, quatenus nempe eorum fu-
tura

V

tem omnem, quam mouere possent dubitantes, dudum os veritatis, Messias ἑσχατος, sub initium statim officii sui prophetici composuit, hoc oraculum de se interpretatus, cum e tradito sibi per aedituum 7) codice sacro, istud, in quod euoluendo non tam fortuito, quam potius sapientissime sic dirigente diuina prouidentia inciderat, Luc. IV, 21. praelegeret, et praelecto exegetin adderet; cui Seruatoris asserto aliquid confirmationis vt addatur, hac imprimis vice, non est. Accedit, quod τὸ רצון עת, huius nostri רצון שנת synonymum, a Paulo expressè etiam de N. T. laetissimo tempore pronuncietur Ef. XLIX, 8. 2. Cor. II, 6. Vnde de Obiecto palmario שנת רצון nullum potest esse dubium, quin libertas sit per Christum ἑσχατος parta.

Alterum, quod praemittendum est, eo pertinet, vt appareat, annum gratiae libertati per natum Christum partae recte conuenire. Cui affirmando satis argumenti in eo esse posset, quod angelica caterua Messiae recens nati laudes in aruis Bethlehemiticis praedicans, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίαν hoc beneficio conciliatam esse, affirmat. Possè enim רצון Iesàiae, εὐδοκίαν, reddi, ὅτι ὁ testatur, Pf. LXIX, 14. et Hagg. I, 8. et alibi. Cumque vtraque vox, et gratiam diuinam, Pf. XXX, 8. Philipp. II, 13. et, quod hominibus gratum est Prou. XIV, 35. Esth. I, 8. Rom. X, 1. Philipp. I, 15. denotet; beneficium liberationis generi humano Christi incarnatione collatum, vtroque significatu רצון appellari meretur. Est enim illa, et summus gradus gratiae diuinae, et nihil miseræ mortalium genti gratius acceptiusque euenire potuisset; aequè ac annus Iudaeorum tam Sabbathicus, quam Iubilaeus, sicut ex amore Dei in Abrahamidas 8) redundabat, ita iisdem non laetissimi

A 3 mus

tura liberatio symbolum liberationis spiritualis erat. De N. autem Testamenti ciuibus sermonem esse, ex ista phrasi apparet, qua istos liberandos omnes, sacerdotes Domini et eius ministros futuros esse, affirmatur v. 6. eadem ratione, qua omnes fideles N. T. a Christo sacerdotes et reges effecti esse dicuntur. 1 Pet. II, 10. Apoc. V, 9.

7) Ministrum synagogae, quem ὑπηρέτην textus graecus appellat; eundem vulgo existimant interpretes, quem Iudaei חן et שׂוֹבֵי nuncupabant; cuius officium inter alia fuisse traditur, libros sacros asseruare, et lectori Codicis sacri adstare, et, si quid erraret in lectione, monere; vt est apud antiquitatum hebraearum scriptores fere omnes. Videri tamen potest etiam Buxtorff Lex. Targ Talm. h. v.

8) Hoc dum affirmatur, aliae causae, quibus Deum ad sancendam legem

mus esse non poterat; *) si non omaibus, si non duris dominis, qui seruos suos aegre dimittebant; si non auaris colonis, qui agrorum suorum vacationem moleste ferebant; si non tenacibus creditoribus, qui numis suis mutuo datis inuiti carebant: mancipiis certe, ob libertatem recuperatam, et pauperibus, ob reditus agrorum, et quia, quae e sponte natarum, quadragesimo nono anno, nempe Sabbathico, frugum granis deciduis renascebatur, Iubilaei messis, in eorum vsum cedebat; et obaeratis debitoribus, qui per שמט הכספים mirifice recreabantur et exhilarabantur. Quod in mente habuerunt *ἐς ὅ*, quando Iesaiæ annum gratiae *ἐνισυτὸν δευτὸν* annum *gratum et acceptum* verterunt. Et Apostolus, vaticinium aliud de hac N. T. felicitate ex Ies. XLIX, 8. adducens, *עַתָּה רַצוֹן* quod ibi est, *ναυγὸν ἐν σπῆρσδευτὸν*, tempus expectatissimum appellat. Erat enim, quod explicacionis ergo statim additur, *יְשׁוּעָה יוֹם* f. *ἡ μέγα σωτηρίας*. Salute autem quid potest esse exoptatius? quid, si eueniat, iucundius? Accedit, causam hanc

gem de annis sabbathicis et iubilaeis commoueri potuit, non excluduntur, quas plures fuisse probabile est. Imprimis fuerunt, quae ad sanctitatem et sapientiam Dei manifestandam spectarunt. Vt sanctus ipse est, sic sanctos volebat esse Iudaeos, seque ab iis in sancta terra sanctificari, agnoscendo, quod Ipse Iehoua supremus terrae illius Dominus sit, deque illa quoad culturam et reditus disponere possit; et cui ipsos vt peregrinos et inquilinos, obtemperare oporteat Leu. XXV, 24. Sapientiae autem erat, providere, ne promissura fundorum venditione et emtione tribuum fieret confusio, et inde, Messias qua ex tribu et familia quondam nasceretur, incertitudo.

9) Annus iubilaeus Iudaeorum, *gratiae annus* erat, tum per modum causae impulsivae ex parte benignissimi auctoris; ex gratia enim et sine omni gentis promerito sancitus erat: tum per modum effectus; beneficiorum enim gratiosorum illos reddebat participes, atque adeo gratissima illis res erat, mirifice illos exhilarans, pauperes imprimis et seruos. Respectu posteriori, Papae, auctorem eius Bonificium VIII. secuti, suum Iubilaeum *annum gratiae* aliquamdiu appellabant, translata ad illud appellatione Iesaiana; vtpote gratiae consequendae ergo, siue indulgentiarum impetrandarum gratia inuentum; quem postea Clemens VI. et qui eum secuti sunt, a seculari periodo ad semisecularem reducens, mutato nomine, ita, vt nunc vulgo audit, iubilaeum salutare maluit, quemadmodum ex Bullis illum in finem editis et in Bullario magno Laurentii Cherubini collectis, obseruat B. Fabricius in Bibliotheca antiquaria p. 318. sq.

hanc non parum illustrari, si satis firmum est, quod Maimonides de computo annorum Sabbathicorum ¹⁰⁾ tradit. Sequitur enim inde, Christum si non ipso anno aliquo iubilaeo, ¹¹⁾ et quidem post reditum ex captiuitate babilonica, septimo; Sabbathico tamen, illoque ante iubilaeum septimum quinto, atque adeo in aliquo שנת רצון שיהא שיהא שיהא daeis ita dicto *gratiae anno* natum esse. Schemittam nempe, siue annum Sabbathicum primum dicit in septimum post alterum ¹²⁾ sub Esra

ex

10) Iad. Chafaka Hilchot Iobel c. X. §. 3. p. m. 142. b. Haec sectio cum antec. 2. totum computum Iubilaeorum Iudaicorum continet; siquidem factio numerandi initio a decimo quinto Palaestinae sub Iosua occupatae anno, vsque ad templi primi deuastationem, Iubilaea numerarunt septendecim, et, elapsos insuper post illud XVIIIum, septem sabbathicos. Inde in exilio illum computum cessasse ait; vsque ad reditum sub Esra, quem ביאה שנייה i. e. introitum, respectu primi sub Iosua facti, appellat *alterum*, septimo post templum secundum extrui coeptum anno. Qui enim ante Esram adscenderat Zorobabel, templum septem ante Esram annis fundauerat. Atque ab hoc anno exules in patriam reuersos incepisse nouam annorum sabbathicorum aeram; ac proinde decimum tertium a fundato templo annum primam fuisse Schemittam. Templum istud secundum, anno post iubilaeum a reditu nonum decimo quinto, deuastatum esse, postquam annos 420. steterit.

11) Hoc est, quod non quidem de natiuitatis, de mortis tamen Iesu anno, serio contendit Lightfoot, Harmon. Euangel. super Lucae IV. Opp. T. I. p. 486. ad Broughtoni, et cum illo ad R. Simeonis Ben Iochai consensum prouocans, qui in Libro Zohar redemptionem Israelis per Messiam, anno Iubilaeo futuram esse, tradat. Quod, si Iudaeorum computationi non respondeat, quam Maimon. loco modo citato n. 10. tradit, id culpa illorum, ut mysterium Messiae, quod in typo Iubilaei latet, eludant, fieri posse existimat. De quo iudicent, quibus acutius est ingenium.

12) Posset hic alter Esrae reditus, quem Maimon. ביאה שנייה appellat, ab imperitis in relatione ad priorem sub Zorobabele, intelligi. Illo enim, Cyri uenia dimisso et cum aliqua comitum caterua terram yrbemque sanctam ingresso, postquam templum fundauerat; septimo abhinc anno, Arthafasta permittente, Esra Legis peritus cum aliis exulibus sequebatur, ueluti altera post illam priorem remigratione: Efr. II. et VII. Sed est potius, ex usu Rabbinorum, altera Bia siue ingresso, respectu illius, qua ex Aegypto per desertum in Palaestinam, Iosua duce, intrabant; quam primam appellant: cui sibi persuadent successuram esse tertiam, sub Messia; qua aequae ac illis duabus prioribus, nouam Schemittarum aeram incepturam esse tradunt. Ita Maimon. Hilchot Iobel. c. XII. §. 15. 16. p. m. 144. a.

VIII

ex Babele reditum, et proinde in decimum tertium restaurati a Zorobabele templi incidisse. Stetisse vero templum illud annos 420. Hoc si sumimus, subtractis hinc annis illis 13, qui annum istum primum Sabbathicum praecesserunt, et iterum aliis 73, a nato Christo usque ad templi Zorobabelitici deuastationem, remanent anni 334; hi per numerum quinquagenorum diuisi relinquunt sex Iubilaea, cum residuis 34, annis; quos si septenis diuidas, prouenient 4, Schenittae, cum sex annis vulgaribus; post quos exactos, is, qui proxime secutus est septimus, Sabbathicus fuit, idemque Christi natalis; quo גאולה liberatio a culpa per λυτρον a Goele in orbem edito, paulo post soluendum comparari inceptit. Nam et circumcisio eius, et fuga, et omnia alia infantiae incommoda, quae a prima aetate tulit, ad obedientiam Christi meritoriam pertinebant. Si vero mortem sacerdotalem Seruatoris, in ipsum iubilaeum aliquod iudaeorum incidisse, satis probari cum Lightfooto¹³⁾ possit, multo maius robur et maiorem euidenciam hic typus nancisceretur. Interim his, quanquam in se forte certissimis, etiamsi nostram notitiam ob difficultates chronologicas ex antiquitate temporis ortas, fallere possint, non aliam, quam probabilitatis rationem tribuimus; de re ipsa interim profus non dubitantes, recuperationem nempe salutis nostrae per annos illos sacros, tum Sabbathicum, tum imprimis Iubilaeum, praefiguratam fuisse; vterque enim שנת גאולה hic autem praeterea etiam שנת רצון hic annus liberatorum a seruitute mancipiorum iudaicorum¹⁴⁾ erat. Siquidem si quibus seruis annus Sabbathicus fiebat dimissionis terminus, casu fiebat; Iubilaeus vero formali sua ratione manumissionis beneficium afferebat; nullus ergo alius ex binis illis annis sacris et solennibus, quam Iubilaeus,

13) Vide eum loco supra n. II. citato.

14) Serui quidem hebraei post omnem annum seruitutis sextum, ac proinde quolibet septimo seruitutis anno dimittendi erant, in quemcumque is annus profanum, post sabbathicum, incidere Deut. XV, 12. 13. Sed anno iubilaeo serui omnes, etiam qui sexennium seruitutis nondum expleuerant, liberi exibant; iudaei tamen, non etiam e gentibus vicinis acquisiti; ex lege Leu. XXV, 39. Subtilitates variae limitantium Rabbidorum, quos laudatus Carpzouius allegat disp. de anno Iohelaeo §. XIV. hic nihil videntur efficere, exerts legis scriptae verbis obstantibus.

laeus, שנת גאולים esse poterat. Ergo, quem temporibus N. T. **שנת גאולים** annum redemptorum victor ex Edomo rediens promittit Ies. LXIII, 4. illius denominationem absque dubio a Iubilaeo, illo manumissionis vniuersalis anno, desumpsit.

Sed haec, vt forte non indigna meditatione, nec profus inania, ad rem ipsam tamen, quae ad manus est, non imprimis pertinent, illamque aut ingrediuntur necessario aut absoluunt: aliud est, in quo caput rei versatur, illamque facit eximiam. Siue enim Iesaias, quando tempus Messiae **שנת רצון** appellat, ad Iubilaeum Hebraeorum respexit, siue minus, vere tamen annus gratiae est, illi perquam, imo per omnia similis. Ab illo enim fuit praestitum, quod nos coram Deo reddidit *νεχαριστωμένους*; siquidem is nos *ἐχαρίσωσεν ἐν τῇ χάριτι αὐτοῦ*, eaque *ἐν τῷ ἡγαπημένῳ* per dilectissimum filium suum, pro salute nostra in carne manifestatum, parta. Hic, cum ad complenda, in libro Mosis et vatum quae scripta essent, venisset, faciebat **רצון** Pl. XL, 9. idque et agendo et patiendo; atque hinc enata nobis sunt summa beneficia, concionis euangelicae, libertatis, et haereditatis coelestis, qua excideramus, adeundae. His cum nulla maiora diuinæ gratiae possint esse effecta, nihilque generi humano etiam iucundius, vtiliusque; vtroque modo Christi natiuitas cum toto hinc dependente officio sacerdotali, nobis **רצון** est, i. e. tum gratiae Dei manifestum indicium, illiusque causa meritoria, tum et nobis gratissima. Sunt enim haec tria, quae Iesaias de isto tunc futuro, nunc autem exorto gratiae anno praedicat, imprimis ac diligenter expendenda, nempe **קרה** et **בִּישָׁר**, item **קָח**—**בְּקָח** et **רְרוּר** siue libertas, et denique fors **אביונים** f. pauperum in melius mutanda. ^{u)}

Quae quomodo felicissima post Christum natum periodo sint impleta, explicitissimum est. Adesse enim nunc dudum expectatum salutis

15) Haec tria momenta bene respondent tribus iubilaei iudaici attributis, quae illi ita erant propria, vt in alio locum non inuenirent. Erant illa, **הריעה** siue clangor buccinarum, quo annum illum sollemniter dedicabant; dimissio seruorum, et restitutio agrorum, et **שמת קרקע** dimissio fundorum dicta, Maimon. Hilch. Iobel c. X, 13, p. 143. in oppositione ad **שמת כספים** remissionem argenti siue aeris alieni a debitoribus contracti, quae anni sabbathici beneficium erat Deut. XV, 2. non iubilaei, cuius in institutione, debiti remittendi nusquam fit mentio

X

lutis tempus, tuba euangelica, a Baptista et Christo ipso inflata indicabat; vterque enim קָרַן *ἐκήρυσσε* Math. III, 1. c. IV, 17. et illa קָרַן *κῆρυγμα* quid erat aliud, quam denunciatio libertatis, satanae et peccati mancipiis, atque propterea Deo, iustissimo iudici ὑποδίκους, acquisite? Eum enim in finem ab utroque μετανοεῖν iuebantur, et credere in euangelium Marc. I, 13. Hanc concionem Paulus φθόγγον appellat, e Palaestinae finibus in omnes orbis habitati partes egressum, sine dubio ad תְּרוּעָה anno iubilaeo sonantem respiciens.

Libertas autem, quae iustificationem, ὑιοθεσίαν, ius haereditatis coelestis, ipsam denique consummatissimam beatitatem includit, et quae seruituti, omnia his contraria, nempe, reatum culpae et poenae, exhaeredationem, terrores conscientiae, mortis, utpote aeternorum cruciatuum praenuntiae metum, extremam desperationem, continenti opponitur, noui foederis scriptoribus ita solennis formula est, ad describendam felicissimam, qua fideles gaudent, sortem adhibita, ut omnibus fere paginis, Paulinarum imprimis epistolarum, illius extet commemoratio. Quid autem erat, cur hac metaphora tantopere delectarentur auctores sacri, nisi quia apud animum recolebant suum, seruatorum iubilaeo iudaico manumissorum rationes reparatae per Christum salutis typum habuisse? Vincula autem et carceres, quorum פְּקֻדָּוֹת et omnimodam solutionem annus ille gratiae a vate promissus, allaturus erat, a seruitute proxime absunt; et *seruus cum captiuis, ἀρχιμαλώτης καὶ δόλας* Apostolus in hac causa coniungit. Rom. VI, 16. sqq. C. VII, 23. Certe vtrorumque, ut se proxime contingit infelicitas, ita aequalis est, post rupta vincula et obrentam manumissionem laetitia. ¹⁶⁾

Pauperibus vero annum iubilaeum solamini et saluti fuisse, inde constat, quod in illo שְׂמַת קָרַקַע *f. restitutio fundorum* locum habebat. Tunc enim agri aedesque, diuenditae quae fuerant, ad veteres

redi-

16) Seruorum anno iubilaeo dimittendorum rationem, coniunctamque cum illa laetitia, his verbis tradit Maimon. l. c. §. 14. p. m. 143. a. „Ab initio anni (ciuilis, qui incidebat in Calendas Tisri) vsque ad „diem Kippurim *f. expiationis*, qui erat mensis illius dies decimus, „aequidem serui domos suas non adibant, (sed herorum suorum in „aediis manebant) neque tamen seruitia praestabant: - - sed edebant et bibebant ac laetabantur, coronas super capitibus suis gerabant; appropinquante autem die Expiationis, inflabatur buccina in „domo iudicii, et tunc domum suam dimittebantur serui.

redibant possessores. Non licebat illa vendere, nisi extrema paupertate urgente. 17) Eximium proinde beneficium ad pauperes, mutata eorum forte, quam admodum afflictam pertulerant, isto anno redibat; quam ob causam iubilaeum non minus quam sabbathicum annum, egeni sibi benignum experiebantur, hunc remisit debitis, illum restituitis fundis. Absque Christo cum sumus, quid nobis magis egenum? Pauperum enim nomine persaepe in sacris oraculis veniunt, extra Dei gratiam qui versantur, Ap. III, 17. 2. Cor. VIII, 9; uti diuitum, qui donis coelestibus per Christum partis locupletati sunt II, cc. per legitimam oppositi consequentiam. Paupertatis prima causa ad lapsam adamiticum referenda est, quo factum fuerat, ut coelesti haereditate extrusi, extraque domum patriam vagantes, tristissimo et nunquam terminando exilio inter infinitas aerumnas acceptam tantae felicitatis iacturam deplorassimus, nisi anno gratiae per incarnatum Λόγος parto, haereditas olim erepta nobis restituta, aediumque paternarum habitandarum ius atque potestas ad nos rediisset. Istius enim anni beneficium factum est, ut, qui quondam non filii eramus; nunc filii, et quod consequitur, haeredes, cohaeredes autem Christi sumus; restaurata nobis εὐχρησία, τέλευσι Θεῶν γενέσθαι, si tamen fide in nomen eius, annum istum gratiae amplectimur, et non temere praeterlabi permittimus. Quod ne fiat, qui cauent, si experiuntur, quam vere Iesaias tempus hocce, quo nunc per natum Seruatorem fruimur, שנת רצון annum gratiae appellerit, ideo, quia in illo τοῖς ἀβιρניים pauperibus, exoptatissima sortis suae mutatio obtingit, ditibus ex egenis, liberis atque haeredibus ex exulibus factis. Quod tantum bonum quis non summa animi laetitia excipiat, gratissimaeque in O. M. eius auctorem mente prosequatur? Quis non Iesaiam illud, quod illi suo שנת רצון v. 10. subicit, lactor in Domino, ingeminet?

B 2

Hoc

17) Maimonides Hilchot Iobel c. XI, §. 3. p. m. 143. b. לרא ימכור אדום וכו' i. e. „Non potest quisquam domum suam aut agrum, quem possidet, vendere, etiam si ista post certum tempus (iubilaeo nempe) ad illum redeunt; nisi sit pauper. Dicitur enim: si depauperatur, frater tuus venditque tibi possessionem suam, Leu. XXV, 25. At vendere, et acceptum pretium in loculum reponere, aut mercaturam illo exercere, aut supellestem aut iumenta comparare, non est permittitur; sed tantummodo ad victum numis pro vendito acceptis acquirendum (vendere licet.)

Hoc saluberrimum genti nostrae beneficium, tanto clarius apparebit, recte שנת רצון appellari, si per omnia causarum genera expendatur. Habet causam *efficientem*, Deum, qui, cum adhibita in consilium, si ἀνθρώπων, et nostro concipiendi modo loqui licet, sua sapientia, iustitia et sanctitate videret, miraculosum opus, quod intra mitissimum animum suum volebat, hisce ac caeteris suis attributis non aduersari, ante iacta mundi fundamenta de *anno* isto *gratiae* mortalibus olim largiendo *decreuit*, tempusque, post cuius complementum denique promulgaretur, destinavit. Idem etiam Deus, sed personaliter acceptus, Filium, vt e muliere nasceretur, tamquam huius *gratiae* fundamentum, post exactum tempus, quod suae sapientiae conuenienter constituerat, *misit*: Idem Deus, sed sub alio characteri personali, vt, quod in diuino isto concilio in se susceperat, *annū* illius *gratiae* promulgandi officium expleret, *venit*, in matre θεοτόκῃ conceptus atque ab illa in lucem editus; Idem etiam Deus, tertia tamen Deitatis persona, in admirabili naturae humanae, quam εἰς λόγος sibi vni-ret, productione, efficientis causae munus obiit, non quidem illam generando, aut quocunque modo patris vices supplendo, quo nihil magis dici posset incongruum, sed massam virginēam ad recipiendam foetus humani formam aptando, eamque, vt homo ἀμίαντος, ἄκακος et ἀπὸ ἀμαρτωλῶν κειραρισμένος inde prodiret, sanctificando; illud, virtutem et actionem δημιουργικὴν et ἀρχιτεκτονικὴν, hoc, ἀγιαστικὴν appellare solent. Atque hac ratione causa tanti beneficii efficiens, Deus, isque trinunus est; ita quidem vt actuum hic concurrentium alii essentiales sint, alii personales; omnes tamen *ad extra*, propter obiectum, circa quod versantur, extra Deum positum; Sed hoc discrimine, vt eorum aliqui sint interni seu immanentes, aliqui externi seu emanantes. ¹⁸⁾ Atque ob hanc causam tanti operis efficientem, quae

omnis

- 18) In gratiam tyronum nostrae sanctissimae disciplinae, qui haec legent, ex praelectionibus systematicis repetere placet, vt opera ad intra et ad extra, et iterum, quae sunt ad extra interna et ad extra externa, in hacce causa distinguere discant: decretum de hoc anno gratiae esse opus Dei ad extra internum s. immanens; sed missionem filii et *ἐπίστασιον* Spiritus S. nec non assumptionem carnis, pro diuersitate sanctissimarum deitatis personarum, opera ad extra externa s. emanantia, quarum illud Patri adscribitur, isthoc *Δοξῆ* personaliter competit, hoc autem Spiritui sancto

omnis gratiae ac bonitatis fons est, redemptionem per Christum faciam, gratiam, et tempus quo illa orbi terrarum reuelata est et confertur, annum gratiae recte appellari certum est.

Cum hac causa efficiente proxime cohaeret *impulsua*; siquidem nulum ens rationale, quantumvis ens omnium sapientissimum, agere solet, nisi certa aliqua causa siue ratione permotum. Deum vero quid ad cogitandum de tanto, quod hoc tempore meditatur, beneficio nobis conferendo permouere potuit, nisi immensa eius gratia, eademque mere gratuita, siue vilo aut dignitatis nostrae aut meritorum influxu? siquidem illud aeterni exitii reis obtigit, peccatoribus nempe et hostibus illius Rom. V, 10. Atque haec praecipua est causa, quae, vt *annus gratiae* appellatur, effecit. Nam quae alioquin huc allegantur, causae impulsuae, amor Dei, *χρηστότης*, *Φιλανθρωπία*; cum *gratia* idem sunt, nisi quod certis connotatis quodammodo differunt; ita vt, sicut gratia omne meritum ex parte nostri remouet, ita *ἀγώπη* de desiderio Dei, vt nobis bene fit, *χρηστότης* de vtilitate et spiritali et aeterna nobis concilianda, *Φιλανθρωπία* de obiecto personali, cui haec tanta bona sunt destinata, simul doceat. Quod si quis huic causae impulsuae, vt internae, addere vellet *externam*, siue illam, quae extra Deum existens, illum ad gratiosissimum de mittendo Redemptore consilium permouit, hominum nempe lapsorum *miseriam*, a qua fauor iste diuinus habet, vt etiam *ἔλεος*, *σπλάγγυα τῶ ἔλεος*, *ὀπιτιμὸς*, *ἰμμήν* vocabulis, deplorandam et multo afflictissimam hominum conditionem simul indicantibus, appelletur, non is errauerit; ¹⁹) si modo,

B 3

sancto tribuitur appropriatiue; vt contra, generatio et spiratio, in mysterio SS. Trinitatis opera sunt ad intra, vni alteriue personae propria.

19) Quoniam sunt, qui ideo dubitant, quia nil mouere s. impellere possit, nisi habeat aliquam in se bonitatem, qua cognita agens ad agendum impellatur. Atque hoc est, cur aliqui Theologorum, B. Gerhardus, Hunnius, Meißnerus, Himmelius, *fidem* dubitauerint causam *impulsuam* iustificationis *externam* appellare, ne quam viderentur eidem dignitatem tribuere, qua Deus, praeter vnicum Christi meritum, ad nos iustificandos moueatur; de quibus, dissentiens tamen et causam accurate explicans post alios, agit B. I. Paul Hebenstreit in systemate suo Theologico super B. Beieri Compendium, accurate et diligenter scripto P. III. L. VI. de Iustific. Th. XIII. p. 128. Nam et paupertas Lazari et calamitas vulnerati viatoris praeteruentus per

quicquid imperfectionis in misericordia est, quatenus nempe moerorem ex miserorum calamitate in spectantis animo exoriri solitum, indicare videtur, a Deo, utpote omnis mutationis ac passionis incapace, sollicitè remouerit.

Sed et obiectionem causam perpendentibus, *gratiae* nomen huic summo amoris diuini operi prorsus competere, apparebit. Obiciuntur huic *anno gratiae* tum *personae* tum *res*; in utrisque infinita Dei *gratia* se mirifice exerit. Annus gratiae iudaicus seruis *omnibus* e gente abrahamitica ortis libertatem offerebat, iis etiam, qui anno septimo, quacunq; de causa, siue egestatis metu, siue patrum familias, apud quos tolerabilem seruitutem seruiebant, amore, manumissionem repudiauerant, ac propterea subula aurem traiectis; quod ex vniuersali legis formula Leu. XXV, 39. satis apparet. Et quamlate patet seruitus potestatis tenebrarum, subsunt autem ei omnes caro de carne nati, ac propter eam nascendi infelicitatem libertatis primaeuae exortes; tam late vindicans in libertatem gratia se diffundit; nec quisquam est mortalium, qui tanto se beneficio exclusum esse, merito conqueri possit. Nemo enim eorum est, quin mundi a Deo per Christu amati, Io. III. 16. sit particula; nec quisquam, quem conscientia non conuincat, se sub peccatum esse conclusum, et se, testante scriptura, sub vniuersali enunciatione, omnes homines sunt peccatores, contineri, Roman. XI, 32. Galat. III, 22. aut aegrum se esse. Ergo omnium misertus Deus, Vindicem libertatis ex aequo omnibus decreuit, et ex decreto misit missumque applicare vult omnibus, ne Caino quidem aut Iscariotae alicui, si modo ipsi oblatam non excuterent, gratiam negaturus. En magnitudinem huius *שנת רצון* quae se in vniuersalitate obiecti personalis manifestat, ad omnia humanae gentis indiuidua se extendens, non generibus singulorum; sed singulis generum, non simulate aut voluntate tantum signi, sed beneplaciti etiam et serio per Christum ut comparata, ita oblata, Neque tamen comparatio haec cum *anno Iudaico gratiae*, propterea laborat, quia ibi tantum seruatorum iudaicorum, non etiam gentilium, libertas fancita erat; nam gens iudaica symbolum erat totius orbis, per semen

Abra-

per modum causae *impulsivae externae* ad misericordiam permouere, atque ad stipem erogandam aut opem ferendam excitare potest, quamquam in utraque nihil dignitatis aut bonitatis inest.

Abrahae restituendi; et pariete intergerino post destructas ceremonias per incarnatum antitypum sublato, circumcisio et praepatium vnum sunt facta, vnus grex, vna ecclesia.

Non minus *gratia*, quae tempus libertatis per Christum natum restitutae eximium facit, ex vniuersitate rerum, s. obiecti realis illustratur. Sunt illae, conceptu priuatiuo, libertatis primitiuae, quam diuina imago afferebat, absentia; positiuo, necessitas legi peccatorum, quae in animae facultatibus, superioribus aequae ac inferioribus ipsisque etiam corporis membris, sunt enim ista, instrumenta iniustitiae, in homine carnali se exerit. Atque haec etiam sub notione termini a quo efferrī possunt, a quo scilicet ista insignis mutatio, quam *annus gratiae* asserit, incipit. Haec sunt, quae *gratia* tollit. Sunt autem opposita etiam hisce malis, bona praestantissima, facultas vincula et iugum seruitutis excutiendi, et ipsa libertas tum a reatu culpae et poenae, quam in iustificatione, tum a dominio peccati, quam in sanctificatione et renouatione consequendi, parta nobis est per parum virginium potestas; quae summa beneficia terminum tantae gratiae ad quem appellare solent scholae; et haec sunt, quae *gratia* asserit. Cumque ratione vtriusque termini, tanta sit vniuersalitas, vt nec malorum quicquam sit, quod non tollat, nec bonorum, ad salutem necessariorum quicquam, quod non in hocce gratiae anno conferat inestabilis Dei bonitas, si modo seruilia plerorumque ingenia non refragentur: etiam, quomodo ex parte obiecti realis, felicitas ex Seruatoris natiuitate exorta, *annus gratiae* saluari mereatur, liquido apparet.

Si autem ex causa *formali*, quae rebus dat esse suum, et adeo inter praecipuas est referenda, imo caeteris praeferenda, de appellatione huius *anni gratiae* ratio reddenda esset, nihil magis in promptu foret, et expeditum. Siue enim formam *totius* consideremus, omnes causas adhuc adductas complectentem, quae manifesta gratiae indicia sunt, vt ex modo commemoratis patet, siue *partis*, quae est, iudicium Dei trinunius, hoc tantum bonum libertatis a Christo partae, ad *credituros* in illum pertinere, actuque secundo illis applicari debere: vtrinque manifestum est, non nisi meram gratiam ex hoc conceptu formali elucere. Et ipsa fidei vox hanc formam ingredientis, talis notio est, quae omne meritum proprium excludit, et e contrario omnes gratiae diuinae abyssos gratuito oblatas amplectitur. Ergo, quia huius felicissimi
anni

XVI

anni priuilegia et beneficia tantummodo ad fideles ratione applicationis pertinent, *gratiae annum* recte appellari, etiam hoc argumento apparet.

Ex causa tandem huius liberationis *finali*, quae est tum spiritualis et aeterna liberatorum felicitas, tum gratiae et misericordiae diuinae manifestatio, siquidem ἡ ἀπολύτρωσις τῆς περιποιήσεως εἰς ἔπαυον τῆς δόξης Θεῶ facta est; Eph. I, 14. adeo dubium non est, quin grauissimum argumentum fluat, ad adstruendam denominationem, quam annus hicce Christianae ecclesiae laetissimus habet, cur *gratiae* annus appelletur, vt potius res ipsa loquatur. Felicitas enim spiritualis et aeterna quid est, nisi χάρισμα τῶ Θεῶ ἐν Χριστῶ Rom. VI, 23. Atque in hoc tanto bono cum inexhaustae bonitatis Dei fons sese largo flumine exoneret; eundem etiam finem a Deo, cum primum de hocce anno gratiae olim orbi adducendo, deliberaret, intentum fuisse, sequitur.

Sed cum hoc sine, gratia nempe Dei, merito etiam laudem *sapientiae* Eius coniungimus, cuius quoque speculum in hocce *gratiae anno* extare voluit. Quod sapientiae illius documentum in libertate per Christum parta reconditum, quam late pateat, sicut pro dignitate exponere hac vice non licet; ita vnicum commemorare sufficiat, hoc nempe, quod tempore maxime opportuno, et rationibus diuinis conuenientissimo natus est Seruator, annique huius gratiae manifestatio in periodum incidit, quae diffundendo per totum orbem regno gratiae aptissima esset.

Haec digna visa est Nobilissimo et praeclare docto M. *Christiano Wilhelmo Thalemanno* Weberstad. Thuringo materia, de qua solennibus sacris academicis crastino die post horam XII. in aede Paulina celebrandis verba faceret. Quem oratorem, facundia, literis et moribus commendabilem, vt Illustrissimi Comites, Vtriusque reipublicae Procere, et generosissimi ac nobilissimi Studiosi, honorifica et humanissima sua praesentia ornent, quemadmodum fore speramus, ita peramanter rogamus. P. P. Natalis Domini parasceue die XXIV. Decembris, MDCCCCL.

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

Fd 5611

ULB Halle

3

002 715 18X




71+306

VD 77

NC







RECTOR
ACADEMIAE LIPSIENSIS
AD
SACRA NATALITIA
SERVATORIS O. M.
IN TEMPLO ACADEMICO
PVBLICA ORATIONE CELEBRANDA

CIVESSVOS

INVITAT.

J. Hebenstreit
Sept. 61, 2.

17.
2/13
44

aw.